



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Instrvctio R.P. Ignatii Balsamonis Societatis Iesu,  
Theologi. De Perfectione Religiosa, Et De Vera Recte  
Orandi & meditandi methodo**

**Balsamo, Ignazio**

**Coloniæ Agrippinæ, 1612**

II. Document. Religiosus deuotioni addictus sit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48888](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48888)

Serm. de se-  
ptem miseri-  
cordijs.

plicet Deo, praesertim in filijs gratia, in  
hominibus conuersionis, quemadmodum  
ingratitude: vias enim obstruit gratia,  
& vbi fuerit illa, iam gratia locum non  
habet, accessum non inuenit. Peremp-  
toria res est ingratitude, hostis gratia,  
inimica salutis. Multa quoque alia in  
hanc sententiam scribit in sermo.  
paulo ante allegato. Contra vitium  
ingritudinis. Quae autem Religioso  
consideranda sint, vt beneficium vo-  
cationis suae cognoscat, sub finem  
huius tractatuli, inter consideratio-  
nes Religioso proprias dicamus.

## DOCUMENT. II.

*Religiosus debet pietati atque deuoti-  
oni addictissimus esse.*

SECUNDVM Documentum sit:  
Religiosum debere maximè ad-  
dictum esse deuotioni, id est, oratio-  
ni, contemplationi, conscientiae dis-  
cussioni, Sacramentorum frequen-  
tationi, & Lectioni spirituali: haec e-  
nim omnia complectitur verbum,  
Deuotio. Opus est igitur, vt talem ha-  
beat



beat inclinationem & amorem ad spiritualia, vt, quantum in ipso est, nihil aliud facere desideret, quam prædictis deuotionis exercitijs incumbere. De quibus aliquantò particularius differam.

Quoad Orationem, debet eniti, vt dictum illud Saluatoris adimpleat. *Oportet semper orare & non deficere.* *Luca. 18.*  
 Et illud S. Pauli. *Nostra autem cõuersatio in celis est:* Idque per frequentem vsum orationum iaculatoriarũ, id est, eleuationum & suspiriorum spiritus, atque breuium orationum vocalium, quales esse possunt: *Deus in adiutorium meum intende:* & aliæ similes, tota animi contentione laborãdo, vt indies familiarior reddatur Deo Creatori suo, Beatiss. Virg. *MARIAE*, & speciatim S. Angelo tutelari, quem Deus illi dedit, vt ab eo adiuuaretur, dirigeretur, ac perficeretur. Est certè ingês ingratitude, & fidei imbecillitas atque defectus, quod tam male vtamur singulari & eximio hoc beneficio, quo cœleste numen nos decorauit: cuius quicun-  
 que

*Psal. 49.*

que



que rationē habuerit, re ipsa experi-  
 etur, se mirum in modum indies ad-  
 iuuari, fauore atq; auxilio cœlestis  
 huius Spiritus, qui licet omni tēpo-  
 re Deum facie ad faciem intueatur,  
 non desinit tamen oculos in hominē  
 fidei commissum conijcere, non ali-  
 ter atque pædagogus aliquis pueri  
 sibi traditi, curam incessanter gerit:  
 verum Angelus tutelaris id multo  
 maiori cum charitate & diligentia  
 præstat. Sed quæres, quid tibi facien-  
 dum sit, vt beneficij huius rationem  
 habeas? Consuescas Angeli custodis  
 tui in omni loco meminisse, illumq;  
 ingrediens, & egrediens, stās, & se-  
 dens, præ oculis habere, ac recorda-  
 ri, eum tibi præsentem adesse, lateri  
 tuo adhærere, nec vnquam te desere-  
 re, licet eum oculis corporeis haud-  
 quaquam intuearis: ideoque magnā  
 illi & reuerentiam & venerationem  
 iatrinsecus exhibebis, multò maio-  
 iorem quam si in cōspectu Cardina-  
 lis alicuius consisteres: illum omni  
 hora supplex rogabis, vt tibi assiste-  
 re atque opem ferre dignetur, firma  
 c once-



concepta fiducia, quod nihil tam magnum sit, quod per illius intercessionem, cui voluntas, & potestas te adiuuandi concessa est, impetrare non valeas: veniam quoque frequenter & humillimè precaberis, de omni tua ingratitude & offensis, quibus eum hactenus irritasti, quandoquidè post DEVM nulli tantoperè obligatus es, quam fidelissimo huic Angelo tutelari. Ut autem frequentius illius meminisse queas orationem de S. Angelo custode, quæ incipit: *Angele Dei qui custos est mei, &c.* identidem in ore & corde habebis, etiamsi id fiat duobus tantum primis verbis.

Lege hac de re S. August. *Soliloquia* cap. 17. & S. Bernard. serm. 12. *in Psalmum, Qui habitat.* Meditationes quoque alias de S. Angelo custode consule, ut aliquando eas cum animo tuo versare & reuoluere possis.

Porro cum perseverantia in Religioso statu, & bonis incaptis, sit donum DEI (teste D. Augustino,  
cui

*Ludow.  
de Ponte  
parte 6.  
medit. 34*



cui omnes alij Theologi astipulantur) & præter hominis debitam cooperationem, speciale quoque auxilium & cælestem opem requirat, Religiosus quisque inter quotidiana deuotionis exercitia hoc quoq; ponet, & hanc perseuerantiam instantissimis à DEO precibus sibi & alijs poscat. Atque ne illius obliuiscatur, hanc orationem frequentare, vel vt minimum semel in die recitare consuescet.

*Oratio Religiosorum propria ad postulandam perseuerantiam.*

**D**EVS qui nos à seculi vanitate conuersos ad brauiũ supernæ uocationis accedis, pectorib<sup>9</sup> nostris purificadis illabere, & gratiã nobis qui in te perseueramus infunde, vt protectionis tuæ muniti presidijs, quod te donante promissimus, impleamus, & nostræ professionis executores effecti, ad ea quæ perseuerantibus in te, promittere dignatus est, pertingamus. Per Dominum &c.

*Conside .*